


SAC. STANISLAUS FRANKL




**CARDINALIS
JOANNIS TURRECREMATAE
DOCTRINA DE NOTIS ECCLESIAE**



CRACOVIAE 2024

www.ultramontes.pl



NOTANDA

Cardinalis Joannis Turrecrematae doctrina de notis Ecclesiae ⁽¹⁾

SAC. STANISLAUS FRANKL

"Multi quidem... tam ex graecis, quam ex latinis doctrina ac pietate praestantes viri, de Apostolicae Sedis et Romani Pontificis Auctoritate scripserunt; sed nemo melius, copiosius, aut efficacius scripsit, quam Joannes de Turre cremata Cardinalis" ⁽²⁾.

Iam revera multorum operum (3), quae Card. Turrecremata scripsit, gratia, necnon propter totam suam activitatem in favorem Apostolicae Sedis fideique catholicae oblatam, nobilem titulum Defensoris fidei a Concilio Florentino et postea a Pio II-o est adeptus. Unde iuste maximus sui temporis theologus fere unanimiter vocatur (4).

Sepositis variis quaestionibus, quae fundant verum Turrecrematae momentum scientificum, una consideranda est nobis quaestiuncula, quae occasione controversiae, quam habuit praesertim cum Waldensibus, Wicleffitis et Hussitis, necnon forsan cum theologis orientalibus in Concilio Florentino, evoluta ecclesiologiam primi dimidii saec. 15. in clariore ponit luce. De notis Ecclesiae est sermo (5).

Vestigia antecessorum (6) premens, clare Cardinalis distinguit inter etymologicam notionem Ecclesiae et Synagogae (7). Cum prima convocationem significet et supponat creaturas racionales, altera congregatio interpretatur necnon magis de creaturis inferioribus praedicatur. Si realis definitio inspiciatur "*Ecclesia est – ut dicit Turrecremata – catholicorum collectio sive universitas fidelium*" tum praedestinatorum, tum reprobatorum, dummodo "*unius veri Dei cultu, unius fidei professione*" convenient "*et pastoris sui censura ab Ecclesia non sint praescisi*".

Verumtamen cum haec Ecclesia unicum sit medium ad veram fidem acquirendam, fides autem necessitate absoluta ad salutem requiratur, sequitur extra Ecclesiam nullam esse salutem (8).

Ex necessitate Ecclesiae liquet eius visibilitas et cognoscibilitas, quae ulterius resolvitur in certis signis externis. Haec signa vel notae Ecclesiae in operibus Turrecrematae "*conditiones et proprietates*" vocantur. – In ipsa notarum enumeratione sequitur Cardinalis ordinem in Concilio Constantinopolitano I-o recepto (9), licet ipse putet hoc esse Concilium Nicaenum, nempe: "*una, sancta, catholica et apostolica*" (10).

Suntne hae "*conditiones*" notae Ecclesiae sensu stricto, an aliquae tantum qualitates? Explicite hanc quaestionem non solvit, verumtamen ex ipso modo tractandi, ex nonnullis sat apertis allusionibus (11), necnon ex ipso operis fine luculenter apparet auctorem non tantum de proprietatibus Ecclesiae essentialibus loqui, sed insuper, contextu praesertim considerato, patet mentem eius praecise ad hoc tendere, ut possit contra heterodoxos probare praedictas proprietates, quamvis ex essentia Ecclesiae orientur, rationem signi habere proindeque esse veras notas Ecclesiae sensu omnino stricto.



Ad Ecclesiae unitatem demonstrandam considerat eam Turrecremata tum prout est in voluntate Christi, tum prout empirice cognoscitur. Familiaris praesertim apud Patres latinos relative ad Ecclesiae unitatem textus ex Cant. cant. 6, 8 assumptus et idea corporis Christi mystici in epistolis Paulinis evoluta, adhibentur ad primam demonstrationis partem. Pars magis empirica probatur ex unitate doctrinae, quae eandem in omnibus producit fidem, spem et caritatem in eundem Deum et Christum, caput simulque fundamentum totius Ecclesiae, necnon eundem finem omnium credentium. Haec unitas observatur insuper in iisdem sacramentis, quae producant in iustificatis habitationem eiusdem Spiritus Sancti, qui, prout sit una anima, vivificat totum corpus, tribuens singulis eius membris "divisiones" variarum charismatum (12), et dirigit totum corpus ad eandem vitam aeternam obtinendam. Quamvis Christus supremum sit caput invisibile suae Ecclesiae, instituit tamen unum pastorem visibilem, qui vice sui tamquam supremus Governator Ecclesiam regat, eiusque unitatem externe manifestissime ostendat (13).

Secunda Ecclesiae conditio est sanctitas. Investigata vocis etymologia duae praesertim notiones occurrunt: "*sanctum idem est quod mundum... hagio in graeco, quod interpretatur sine terra... sanctitas est ab omni immunditia libera et perfecta*" (14). Deinde "*sanctum idem est, quod firmum, unde apud antiquos sancta dicebantur, quae legibus erant munitae*" (15). Applicatis hisce praesuppositis ad Ecclesiam, concludit eam reapse esse sanctam, quia tum Christus sanguine suo eam mundavit, tum legibus et sanctione divina ita eam munivit, atque firmavit, ut "*violari non possit, cum a fide et charitate, quae in Christo est, numquam defectura sit*" (Mt. 16), tum denique eam consecravit atque dedicavit suo Patri coelesti (*Heiligkeit der Weihe*). – Praeter hanc sanctitatem ontologicam tribuit etiam Turrecremata Ecclesiae sanctitatem subiectivam, in quantum est effectus operationis Spiritus Sancti, qui per infusionem virtutum et donorum fideles sanctificat et excitat ad sanctam vitam ducendam, necnon vim sanctitatis internae in fructibus uberrimis externe manifestandam (16).

In tertiae notae Ecclesiae explicatione totam vim argumentationis ponit Turrecremata in Ecclesiae universalismo. Cautè tamen procedens distinguit inter catholicitatem facti et iuris et ulterius inter tempus Apostolorum et statum Ecclesiae coetaneum. Generatim Ecclesia dicitur catholica, sive universalis, quia est toto orbe diffundenda (quaestio iuris) aut diffusa (quaestio facti), ad omne tempus valitura, ad omnes gentes et condiciones applicabilis, universam doctrinam revelatam continens, pro omnibus hominum indigentis salutaria praebens remedia. Notam autem catholicitatis, quam contra coetaneos heterodoxos inculcat in eo praesertim videt, quod Ecclesia Romana eandem doctrinam temporum decursu retinet, cum alii religiosi coetus mutationibus subsint (17).

Sub hoc tamen respectu sternitur via ad ultimam notam Ecclesiae explicandam, apostolicitatem, in qua iterum identitas doctrinae inculcatur duobus tamen comparatis stadiis, nempe doctrina tempore Apostolorum et doctrina status coetanei (18).

Verumtamen ulterius procedendo conatur Turrecremata contra "*adversarios*" demonstrare vocem "*apostolica*" optimo iure de Ecclesia catholica praedicari. Iamvero ipse Christus missionem quam habuit Apostolis suis tribuit, qui Spiritu Sancto accepto statim "*verbo praedicationis, miraculis, sanctitatis exemplis*" Ecclesiam Christi "*fundarunt et roborarunt*" (19). Ecclesiae autem ab Apostolis fundatae retinent semper Apostolorum "*fidem, praedicationem documenta atque auctoritatem*". Deinde

ritus sacramentales, institutiones religiosas, liturgia, quae in coetanea viget Ecclesia, a traditione apostolica derivantur (19).

In hoc toto demonstrationis processu non omittit Turrecremata rationem, quam saepe "*adversarii*" urgebant. Cum nempe Ecclesia a Prophetis sit praedicata, a Christo ipso super fundamentum Apostolorum et Prophetarum fundata, sequitur eam pari iure propheticam ac apostolicam, maximo tamen iure Christi, vel christianam nominandam esse. Ad difficultatem ex hac ratione ortam solvendam explicat Turrecremata ipsam notionem vocis, *αποστολος* necnon perpensis variis sacris eloquiis, ubi *αποστολή*, *ἀπόστολος* et *αποστελειν* sensu missionis invenitur, concludit, quod non minus Christus et Prophetae quam *οι δώδεκα* Apostoli nuncupentur et ad hanc praecise missionem propagandam vera Christi Ecclesia "apostolica" vocatur (20).

Momenti scientifici in quaestiuncula proposita Cardinalis Turrecrematae elucidandi gratia non superfluum esse videtur hoc praecise investigare, ex quo aliquod novum ope ingenii Cardinalis evolutum oriatur.

Exposita Turrecrematae sententia apparet hanc quaestiunculam iam primis decenniis saec. 15. satis evolutam esse. Comparata tamen Turrecrematae *Summa de Ecclesia* cum opere Jacobi Viterbii "De regimine Christiano" an. 1301 exarato (21), nec non hac circumstantia prae oculis habita, quod Turrecremata breviter post mortem Viterbii, qui an. 1293 tamquam magister in Universitate Parisiensi est notus, similem functionem in eadem schola exercuit (22), magna cum probabilitate dependentia Turrecrematae a Viterbio affirmatur.

In ipsa Ecclesiae conceptus explicatione, tum Viterbius, tum Turrecremata ex eodem hauriunt fonte, videlicet ex Isidori Hispalensis *Etymologiarum libris* (23). In notarum enumeratione hic et ille concordat. Uterque adhibet denominationem "conditiones". Si singulae notae considerentur, dependentia haec crescere videtur. Unus et alter eisdem fere argumentis utitur; Viterbius magis speculative, Turrecremata practice, Viterbius problema ponit, Turrecremata evolvit et perficit (24).

Quae cum ita sint, sequitur Turrecrematam ad doctrinam de notis Ecclesiae praeter evolutionem nihil novi addidisse, sententiam autem eius dependentiae a Viterbio spectata possibilitate alicuius adhuc ignoti, probabilitatem non excedit fontis communis.

Romae

S. Frankl.

Collectanea Theologica. Przegląd Teologiczny. Publicantur tertio quoque mense a Societate Theologorum Polonorum. A. XIV, fasc. 1/2 (1933). Leopoli. Polonia. TYPIS ET SUMPTIBUS SOC. "BIBLIOTEKA RELIGIJNA", pp. 250-254. (a)

Notae:

- (1) Natus an. 1388 in oppido Valladolid, vel Torquemada (ne permisceatur cum Thoma Torquemada celebri inquisitore), mortuus Romae an. 1468, sepultus ibidem in ecclesia Sanctae Mariae supra Minervam.
- (2) Card. Vitellotius in praefatione ad Venetianam editionem Turrecrematae *Summae de Ecclesia* an. 1561.
- (3) Opera inedita cf. Garrastachu, O. P., *Los manuscritos del Cardenal Torquemada en la Biblioteca Vaticana*: "La Ciencia Tomista" 41 (1930) p. 188-217; 291-322; Opera edita cf. Alphonsus Ciacconius, *Vita et res gestae Pontificum Romanorum et S. R. E. Cardinalium*, Romae 1677, Tom. II, p. 917.
- (4) Ciacconius, op. c., 917, "Primum apud sui temporis theologos locum tenuit, disputavit egregie in Conc. Florentino pro Latinis". – Cf. Fontana, *Theatrum Dominicanorum*, Roma 1666, P. 2, p. 381. – Pastor, *Geschichte der Papste*, I. 355. "Sowie die Theologie in Betracht kommt, war Torquemada unzweifelhaft das gelehrteste Mitglied des hl. Kollegiums; mit Recht hat man ihn den grössten Theologen seiner Zeit genannt".
- (5) Praeposita quaestio continetur in *Summa de Ecclesia* (1-a editio, Roma 1489). Citatur secundum editionem Venetianam 1561.
- (6) Praesertim Isidori episcopi Hispalensis, Migne, *Patrologia Latina*, 82, 295.
- (7) *Summa*, 2 s.
- (8) Op. c., 24 b.
- (9) "Recepto", quia formula symboli huius concilii iam antea exarata exstabat, cf. Hahn, *Bibliothek der Symbole...*, Breslau, 1897, p. 135.
- (10) *Summa*, 16 b.
- (11) Op. c., 20 b.
- (12) 1. Cor. 12, 4-31.
- (13) Op. c., 7 s.
- (14) Op. c., 12.
- (15) Op. c., 12, cf. Pauly-Wissowa: *Real Encyclopädie der classischen Altertumswissenschaft*. "Sanctus".
- (16) *Summa*, 12 s.
- (17) *Summa*, 16-19 b.
- (18) Op. c., 20 b.

(19) Ib.

(20) *Summa*, 22.

(21) H. X. Arquillière, *Le plus ancien traité de l'Église: Jacques de Viterbe, De regimine Christiano (1301-1302)*, Paris 1926.

(22) An 1423 (25) doctoratus gradum adeptus et magister promotus.

(23) Migne, *Patrologia Latina*, 82, 74-728.

(24) Turrecr. *Summa de Ecclesia* 7 s. cum Viter. *De regimine Christiano* 107, 117; Tur. op. cit. 12 s. cum Viter. op. c. 129-137; Tur. op. c. 16-19 cum Vit. op. c. 122-128; Tur. op. c. 20-22, cum Vit. op. c. 138-143.



- (a) Cf. 1) P. Anselmus Stolz OSB, [Manuale Theologiae Dogmaticae. – De Ecclesia.](#)
- 2) Pius Papa XII, [Litterae encyclicae "Mystici Corporis Christi". De Mystico Iesu Christi Corpore deque nostra in eo cum Christo coniunctione.](#) ([Encyklika "Mystici Corporis Christi". O Mistycznym Ciele Chrystusa.](#))
- 3) Acta et decreta sacrosancti oecumenici Concilii Vaticani (1870), [Primum Schema Constitutionis dogmaticae de Ecclesia Christi Patrum examini propositum.](#)
- 4) Themata dogmatica Concilii Vaticani. Votum P. Ioannis Perrone e Societate Iesu, [De Ecclesia eiusque iuribus.](#)
- 5) S. Cyprianus Episcopus Carthaginensis, [De Catholicae Ecclesiae unitate.](#)
- 6) P. Christianus Pesch SI, a) [Praelectiones dogmaticae. De ecclesia, corpore Christi mystico.](#) b) [Compendium Theologiae dogmaticae.](#) c) [De membris Ecclesiae.](#)
- 7) Sac. Josephus Papp-Szilágyi de Illyésfalva, [De electione Romani Pontificis.](#)
- 8) D. Henricus Maria Pezzani, [Codex Sanctae Catholicae Romanae Ecclesiae. Can. 26. Devius a fide catholica, haereticus, vel schismaticus eligi prohibetur in Romanum Pontificem; si eligatur nulla est electio](#) ([Kodeks Świętego Katolickiego Kościoła Rzymskiego. Kanon 26. Zakazany jest wybór na Papieża tego, kto odstąpił od wiary katolickiej, heretyka lub schizmatyka; jeśli ktoś taki zostanie wybrany, wybór jest nieważny.](#))
- 9) P. Timotheus Zapelena SI, [De Ecclesia Christi. Pars apologetica. Thesis IX. E Christi ipsius institutione Petrus habebit successores in primatu ad finem usque saeculorum.](#)
- 10) S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, Ordinis Praedicatorum, [Summa Theologica. Num Papa mortuo remaneat ejus potestas. – Ad quos electio Summi Pontificis pertinet.](#)
- 11) Albertus Nègre, Archiepiscopus Turonensis, Sacrae Theologiae Doctor, [Cursus Theologiae Dogmaticae. De Romani Pontificis infallibili magisterio.](#)
- 12) Sac. Petrus Semenenko CR, [Papa semper idem sit formaliter qui et materialiter](#) ([Papież zawsze ten sam jest formalnie, co i materialnie.](#))
- 13) P. Parthenius Minges OFM, a) [Compendium theologiae dogmaticae generalis.](#) b) [Compendium theologiae dogmaticae specialis.](#) c) [Ecclesia est infallibilis.](#) d) [De religione judaica postchristiana.](#) e) [Falsa systemata de relatione inter fidem et rationem. Modernismus.](#)
- 14) Sac. Constantinus Joannes Vidmar, [Compendium repetitorium Theologiae dogmaticae tum generalis cum specialis.](#)
- 15) S. Alphonsus Maria de Ligorio, Ecclesiae Doctor, [Opera dogmatica.](#)
- 16) P. Ferdinandus Cavallera SI, [Thesaurus doctrinae catholicae ex documentis Magisterii ecclesiastici.](#)
- 17) P. Fr. Carolus Thil OESA, [Exercitatio theologica de locis, seu fontibus Theologiae Christianae. De Ecclesia Christi.](#) a) [De summa Catholicae Doctrinae circa veram Christi Ecclesiam.](#) b) [De Notis verae Ecclesiae Christi. Propositio IV. Nota quarta distinctiva verae Ecclesiae, est, quod sit Apostolica primo ratione doctrinae, et secundo ratione suae originis, id est in perpetua, et non interrupta Pastorum suorum successione ab Apostolis.](#)

18) Sac. F. H. Reinerding, a) *De iis, qui auctoritati Ecclesiae obluctantur.* b) *De necessitate Ecclesiae ad salutem.*

19) P. Dominicus M. Prümmer OP, *Manuale iuris canonici in usum scholarum.*

(Nota ab ed. *Ultra montes*).

HIC FASCICULUS CONTINET:	
Dissertationes:	
<i>O. Lohn L. T. J.: Doctrina Nestori de mysterio Incarnationis</i>	1
<i>Ks. Władysław Śpikowski: Polemika św. Ireneusza z gnostykami</i>	38
[„ „ „ Notio Dei a s. Irenaeo contra gnosticos explicata et defensa]	38
<i>Ks. Nowacki Józef: Arcybiskup gnieźnieński Janusz i nieznan synod prowincjonalny roku 1258</i>	92
[„ „ „ Janussius archiepiscopus gnesnensis, eiusque synodus provincialis anni 1258]	92
<i>Ks. Długosz Teofil: Biskupia visitatio liminum</i>	173
[„ „ „ Episcopalis visitatio liminum]	173
Notanda:	
<i>Ks. Frankl Stanisław: Cardinalis Joannis Turrecremata Doctrina de notis Ecclesiae</i>	250
<i>Ks. Dawid Piotr: Przepisy archidiacona krakowskiego Bartłomieja Gądkowskiego</i>	254
[„ „ „ Praescripta archidiaconi cracoviensis Bartholomaei Gądkowski]	254
<i>Der armenische Text.</i>	259
Recensiones:	
<i>Gościcki Bolesław: Zagadnienia metafizyki (napisał Ks. Kowalski Kazimierz)</i>	261
<i>Ks. Rozkwitalski Józef: Szkoła twórcza w nauce religji (napisał Ks. Bielawski Zygmunt)</i>	266
<i>Schebesta Paul: Bambuti die Zwerge vom Kongo (napisał Ks. Konieczny Franciszek)</i>	268
Chronica:	
<i>Drugi naukowy zjazd teologiczny w Polsce</i>	263
[Programma Congressus scientifici theologorum polonorum]	263
<hr/>	
COLLECTANEA THEOLOGICA	
publicantur tertio quoque mense a Societate Theologorum Polonorum.	
Sedes Societatis: Lwów — Leopolis (Polonia) , in aedibus Universitatis ad viam <i>Marszałkowska n. 1.</i>	
Pretium annuum quattuor fasc. 2 doll. am.	
Prostant Roma e apud Edit. pont. Desclée & C. Roma 117, piazza Grazioli 4.	
<hr/>	
Adres Redakcji:	LWÓW, Uniwersytet, ul. Marszałkowska
Adres Administracji:	LWÓW, ul. Zygmuntowska 4.

Φ 638 - legz. 8
A. XIV

1933

F. 1-2

COLLECTANEA THEOLOGICA

⇒ PRZEGLĄD TEOLOGICZNY ⇒

PUBLICANTUR TERTIO QUOQUE MENSE
A SOCIETATE THEOLOGORUM POLONORUM



LEOPOLI  POLONIA
TYPIS ET SUMPTIBUS SOC. „BIBLIOTEKA RELIGIJNA“

([HTM](#))

© *Ultra montes* (www.ultramontes.pl)

Cracovia MMXXIV, Kraków 2024